



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

15. An Sacerdos institutus, & obligatus ad celebrandum in certo Templo,
Oratorio, vel Altari peccet alibi celebrando? Et an obligatus celebrare in
Altari privilegiato possit, & satisfaciat, si ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

Privilegiado; y el Capellan no cumpliesse esto, pudiendo, juzgo que quedará obligado à restituír, pues peccó contra justicia, por el daño que se sigue al Fundador. Ita ille, qui citat Fagundez, & Riccium; quibus adde Dicastrillum *ubi supra* num. 390. & 393; Marchinum *de Sacrament. Ordinis, tractat. 3. par. 2. disp. 24. n. 7. in fine*, Possuinum *de Officio Curati, cap. 2. quest. 2. num. 25*, Fraxinellum *de Sacerdot. oblig. sect. 4. concl. 5. §. 1. Jordanum in Elucubr. tom. 1. l. 4. tit. 1. n. 59*, qui duo nostram sententiam, quam impugnat Tamburinus, in specie docent, & defendunt.

RESOL. XV.

An Sacerdos institutus, & obligatus ad celebrandum in certo Templo, Oratorio, vel Altari peccet alibi celebrando?

Et an obligatus celebrare in Altari Privilegiato, possit, & satisfaciat, si celebret alibi cum numismate, vel calculo D. Caroli, vel alterius Sancti?

Et in supradicto primo casu, an possit excusari Capellanus à mortali ex paruitate materiae, ut si bis, vel ter in anno in tali Sacello, vel Altari non celebret?

Et si non celebret in destinato loco, an teneatur ad aliquam restitutionem? Ex p. 1. tr. 14. Ref. 29.

Sup. hoc in Ref. præterita, & in aliis eius primæ annot.

§. 1. **R**espondeo peccare mortaliter, cum Nauarro *cap. 25. num. 134*, Rodriquez *in sum. tom. 4. c. 5. num. 6*, Azorio *tom. 1. lib. 10. cap. 24. quest. 8*, Iacobo de Grassis *tom. 1. cons. lib. 2. conf. unic. de paron. num. 15*, Homobono *de exam. Eccles. par. 1. tract. 4. c. 13. g. 125*, Fraxinello *de oblig. Sacerd. sect. 4. concl. 4. §. 9. n. 3*, Fagundez *de præcept. Eccles. p. 1. lib. 3. cap. 9. n. 7*. Ratio est, quia in re magni momenti infideliter agit frangendo promissum.

Sup. hoc in Ref. præterita §. 2. ante med. & magis latè in Ref. seq. & in aliis eius annot.

2. Hinc à fortiori apparet, me olim cum supradictis DD. rectè respondisse, non satisfacere, qui cum in Altari, ut dicunt, privilegiato, accepta stipe Missam dicere debeat, si in alio loco celebret, existimans cum calculo benedicto D. Caroli, vel alterius Sancti animam illius, pro quo celebrare tenebatur, è Purgatorio per modum suffragij eximere posse.

Et sup. contento in hoc §. Pato in Ref. præterita, §. 1. cursum post med. Et pro contento in hoc §. vlt. ibid. §. Ad secundum, & in aliis §. eius annot.

3. Puto tamen ex paruitate materiae, Capellanum in hoc casu aliquando excusari, ut si, v. g. bis, vel ter in anno in tali Sacello, siue Altari non celebret.

4. Aduerte etiam, ut dictum est, peccare Sacerdotem in destinato loco minimè celebrantem, non tamen teneri ad ullam restitutionem, nisi aliquod suffragium defunctis subtraxerit, quia, videlicet, si in destinato Altari celebrasset, aliqui ad eum locum conuenissent, ut Sacrum audirent, & mortuos precibus adiuuissent; & in hoc casu debet Sacerdos defectum huiusmodi aliis precibus compensare. Ita DD. citati.

RESOL. XVI.

An Sacerdos institutus, & obligatus ad celebrandum in certo Altari privilegiato pro animabus Purgatorij satisfaciat obligationi, si alibi celebret cum calculo, v. g. D. Caroli, liberante animam à Purgatorio? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 40.

Que hic est Ref. antecessus, §. Hinc & sup. in Ref. 14. §. 1. ante med. & inf. in duab. Ref. seqq.

§. 1. **N**egatiuam sententiam docui in 1. part. tract. 14. Resolut. 29. sed me non rectè respondisse docet Megalius *variarum resolut. tom. 2. resolut. 187. n. 20*, quia in tali casu à Sacerdote promissio & obligatio sufficienter seruatur per æquipollens.

2. Sed hæc opinio Megalij estet vera, quando ille, qui petit Missam in Altari privilegiato, vniuersaliter loquutus sit, & nullum Altare particulare determi-

nasset, ut obseruat Fraxinellus *in nouiss. editione de Sacerdotum obligatione, &c. sect. 4. concl. 4. §. 9. num. 3*, quod etiam innuit noster Alphonsus de Leone *tract. de Iubilao, part. 3. num. 29*. Secus autem si postulasset ut in hoc, vel illo Altari celebraretur, vel quia suum est Altare, vel quia voluit illud honorari, & colitur enim in petito Altari, & non alibi cum calculo benedicto celebrandum est, alioquin intentioni, & voluntati petentis Missam non satisfaceret, vnde patet responsio ad rationem Megalij negando in hoc casu Sacerdotem seruare promissum per æquipollens, & ita nostram sententiam præter Fraxinellum docet etiam nouissime in terminis, ut dici solet, terminantibus, Homobonus de Bonis *in consular. casuum conscientie, volum. 2. part. 5. respons. 60. & in exam. Eccles. part. 1. tr. 4. cap. 13. quest. 123. & alij*.

3. Quod verò ego *ubi supra* sim locutus in casu quo Sacerdos debebat celebrare in certo Altari Ecclesiæ assignato, eo modo quo supra asserunt Doctores citati, patet ex titulo resolut. vbi dicitur, an Sacerdos institutus, &c. & ex ipsis Doctoribus quos ibi pro mea sententia citavi, qui in tali casu loquuntur; non ergo, ut asserit Megalius, in dicto casu male responsum dedi.

4. Ad id verò quod ipse asserit me non bene excusare Capellanum ab omni peccato si celebret bis, vel ter in Sacello, vel Altari non destinato, respondeo quòd ego supradictum in tali casu excuso ex paruitate materiae: ergo suppono peccare venialiter, ut certum est peccare omnes qui aliquam obligationem, vel præceptum transgrediuntur ratione paruitatis materiae, & aliud dicere, est quærere nodum in scirpo.

RESOL. XVII.

An Sacerdos obligatus celebrare in Altari Privilegiato satisfaciat, si celebret alibi cum numismate, vel calculo Privilegiato? Ex part. 6. tract. 6. & Misc. 1. Refol. 12.

§. 1. **R**esponder affirmatiuè Marchinus *de Sacram. tomo 1. tract. 3. part. 2. cap. 24. num. 8*, quia iste Sacerdos non violat fidem datam nisi materialiter; nam formaliter loquendo iste impleret voluntatem, qui aliud non intendebat, nisi liberari è flammis Purgatorij, quam liberationem Sacerdos celebrans, & vtens numismate, vel calculo privilegiato æquipollenti medio à Deo impetrat. Neque verum est damnum aliquod inferri animæ testatoris, quia vel hoc damnum sequitur illi ratione inæqualis sacrificij, & hoc non, quia Missa in vtroque Altari facta est eisdem valoris: vel attenditur hoc damnum, eò quòd aliud altare, in quo celebravit, non sit privilegiatum, & hoc neque; quia liberatio animæ è Purgatorio medio calculo, vel numismate à Papa benedicto est æque certa & infallibilis, atque eiusdem prorsus utilitatis cum illo, quæ medio Altaris privilegio habetur, & nihil refert quid ex æquipollentibus fiat *ex leg. finali, §. finali, ff. mandati*. Et licet inæqualis esset certitudo inter Numismatis & Altaris privilegium; attamen non cogor eligere certiore partem, sed sufficit eligere probabilem, vel me non habere rationabile dubium tale numisma non esse privilegiatum, cum illud acceperim à fide digno; secus in omnibus rebus esset ambigendi locus, & de ipso Altaris privilegio, vel Bullæ circumstantiis posset etiam quis dubitare non secus ac de ipso Numismate. Ita Marchinus, qui me citato solùm excipit casum, quò fuerit electus locus, seu Altare privilegiatum causa cultus diuini eiusdem loci.

2. Non desinam tamen adnotare contrarium fuisse determinatum Bononiæ in casibus conscientie ibi discussis.